



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCXXI. Invicem venefici frater & medicus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

& spoliatus essem à latronibus, diceres, vitio tuo, parum diligenter custodiebas. ¹ Quotumquodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? Si mancipiorum mortes sunt, parum curasti, medicinam non adhibuisti. Hoc habent gravissimum damna, quod vix ulla sine poenitentia sunt. Ergo tunc quoque si vitio meo factum esset, si lege veteri, damna tamen communia erant.

CCCXXI.

Invicem venefici frater & medicus.

Fratres confortes, inimici esse cœperunt: diviserunt. Alter ex his medicum instituit hæredem, postea redierunt in gratiam. Is qui medicum amicum habebat, cum cœnasset apud fratrem, & domum rediisset, dixit suspicari se, venenum sibi datum: respondit medicus, potionem se daturum remedii, & dedit: qua epota ille decessit: invicem se reos deferunt veneficii, frater & medicus.

DECLAMATIO.

ETiam si causa unius hodie agnoscitur, tamen cum eum de cuius morte agitur, constet veneno periisse, idque inter duos litigantes conveniat, alter utriusque eum veneno periisse: ita committenda utrinque causa est, ut non minor nobis defensionis, quam accusationis habenda sit ratio. Itaque etiam si dolor fratris amissi & conditio iudicii quos accuso, ² hoc videtur exigere primum ac pene solum, ut ea quæ objeci, probem: ignoscetis tamen mihi, si primam defensionis meæ putavero habendam esse rationem: neque hoc eo tantum, quod pertinet ad pudorem hodie meum: sed eo etiam, quod plus auctoritatis habiturum me in accusatione scio, si ad illam innocens venero. Quæritur ergo, iudices, venenum ego fratri dederim, an iste alieno. Non me fugit nomen, quo utitur, amicus. Et rogo sciatis, iudices, de hoc ipso quæri hodie, an amicus fuerit. Sine dubio etiam si certa utriusque nominis fides esset,

¹ Quotum quodque genus damni.] Lege: Quotumquodque. Debetur hæc emendatio Briffonio nostro. *Ærodius.*

² Hoc videtur exigere.] Lege: videtur, Gronovius.

esset, neminem vestrum præteriret, quantum præferri fratrem amico oporteret. Nam quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? Certe quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. Adeo inane etiam nomen, & umbra quædam naturæ videtur simile amicitiae nomen imponere. Cum vero me fratrem constet esse, si venenum (ut probabo) dedit, amicus utriusque non fuerit. Quæ comparatio esse personarum potest? Ac si tantum de amore quæreretur, ¹ iudices, multum natura vinceret: nunc plus est aliquanto, de quo apud vos agitur. Quæritur enim, an ego fratrem potuerim occidere? Ergo inter homicidium & parricidium cognoscitis. Nondum de persona loquor utriusque, non de causa: interim quæro, iudices, utri parti faveatis, utrum verum esse pro civitate, pro temporibus velitis. Equidem, iudices, admirari me confiteor, aut constitutas esse de tantis sceleribus leges, aut ullos inveniri potuisse mortalium, in quos caderet ista suspicio. Fratrem suum potuit aliquis occidere? non obstitit tacita natura? non sanguinis jus? non sceleribus manus suas objecit, quæcunque est illa, quæ certe creditur esse, pietas. fratrem occisuro non succurrit communis uterus? non eadem causa vitæ? non una primordia? ² non illa consuetudo, quæ alienos etiam ac nulla necessitudine inter se conjunctos componere & astringere affectibus potest: consuetudo actæ pariter infantiae, pueritiae studia, lusus, tristitia, joci? Membra hercule inter se citius pugnaverint, & si qua in nobis natura geminavit, diversos ceperint affectus. Nam quid est aliud fraternitas, quam divisus spiritus? & quæ ad tuendos nos natura concessa sunt multipli-

cata,

¹ Iudices.] Al. iudicium. Pith.

² Non illa consuetudo quæ alienos.] Videtur vox consuetudo abundare, & scribendum: non una primordia? non illa (quæ alienos etiam ac nulla necessitudine conjunctos componere & astringere affectibus po-

test) consuetudo actæ pariter infantiae, pueritiae? studia, lusus, tristitia, joci? Quod autem irrepsit in Pithæanas nulla consuetudine, sciendum & apud Thaddæum & apud Ærodiū legi necessitudine, ut illud operatum vitium esse videatur. Gronov.

carā, eo quidem felicius, quod ¹ diversis etiam ² assistentibus locis, esse iidem, ac plura simul obire possimus. Huic necessitudini qui dare venenum potest, non oculos effodiet suos? non manus in viscera sua armabit? Habet ergo hoc primum (ut parcissime dixerim) admirationem, neque ego ignoro, iudices, quanto me onere premam. Ipse confiteor nullis suppliciis, nullis pœnis, nulla me omnium hominum ira posse pensari, si feci. Vult detrahere fraternitati auctoritatem. Discordes, inquit, fuistis. Nondum rationem hujus criminis reddo: illud interim testor: hunc bonum amicum utrique maledicere. Nunc mihi, frater, in quacunque parte naturæ es, agenda causa & tua est. Aliquid ex summa fraternitatis gratiâ defuisse visum est aliquando, dum forsitan uterque alterius animum magis exigit fiducia sui. Bene hercule fortuna, quod uterque tunc incolumis, quod penates sine lacrymis fuerunt: nulla paricidii suspicio tempore illo, quo minus amabamus. Non tamen ista nostri animi culpa fuit, nisi quia vitium est humanæ mentis nimia cupiditas. Hi sunt, qui conjunctos separant animos, qui summæ concordiæ virus suum interponunt, qui hæreditates captant, qui se testamentis parant: qui ita demum spem aliquam in posterum vitæ habent, si eos, quos amicos appellaverunt, carissimis pignoribus abduxerint. Quis fecerit illud inter nos, sic quærite. Nullam iste spem hæreditatis habuisset, si nunquam dissessemus. Hoc igitur primum veluti mentium animique tentati veneno sumus, sed, Dii melius, neque longum istud fuit, neque quicquam ex eo secutum est, quod emendari non possit. Divino sola, ut sciatis cui hæres sit: sed postea (quod satis est) gratia, & rursus solida fraternitas, immo, hercule major arctiorque conjunctio post pœnitentiam. Nesciunt homines, quantum boni fraternitas habeat,

¹ Diversis etiam assistentibus locis.] Forſan: diversis etiam ac diſſidentibus locis. Gronovius. ² Assistentibus locis.] Al. exiſtentibus. Pithœus.

beat, qui nunquam diffederunt. Ut dulcius serenum post tempestates est, ita nostris animis laceratis, & domi castigatis, velut portus ille fraternitatis occurrit. Amabamus etiam in præteritum, nec caritas fuit illa, sed invicem satisfactio. Utinamque hoc non palam, non manifeste fecissemus, ut videretur frater meus nullo modo mutaturus testamentum. Personæ igitur nullo modo comparantur: alienus & frater. Supervacua mentio discordiæ, cum & illo tempore constiterit innocentia, & id tempus quod in culpam deducitur, non solum sine discordia fuerit, verum etiam major atque arctior caritas, post illam de qua locutus sum, pœnitentiam increverit. Proximum est (ut opinor) excutere causas: & quod ad me quidem pertinet, videor de his satis locutus. Nam si inimiciæ eo tempore non fuerunt, quo frater meus accepit venenum, mihi certe hoc faciendi ratio non fuit: qui si essem malus frater, uti tamen bonitatis simulatione debebam, usque ad mutationem testamenti. Nam quid obstabat quo minus non ultionem tantum, sed etiam lucrum consequerer? Si ego non habui rationem dandi veneni fratri, videbo an hic habuerit. Hæres est: hoc per se potens est. Omnia quæcunque toto orbe terrarum committuntur scelera, circumspicite, iudices, pleraque ex cupiditate nascuntur: hæc latrones facit, hæc piratas, hæc intra muros etiam, atque intra domos nostras, & templa, ficas percussorum acuit: inde nata sunt venena, ut mihi videatur rerum naturam omnibus in hominem collatis bonis unum metum opposuisse. Tolle pecuniam, bella sustuleris: sustuleris seditiones. Hanc ergo causam habuisti. Et aliud est, aliis pecunia: si de cupiditate sola loquendum mihi foret, dicerem, Hæreditatem concupisti, homo locuples, nunc hæreditatem concupisti, id solum habiturus quod scelere adquisisses. Quid enim jam remetiri incipis, & longam domus nostræ patientiam calcas? Ecquid scis, quid paulo ante fueris? nunc te circumfluens pecunia, nunc ista mancipia, & quicquid quæstisti scelere, ditabunt?

ditabunt? Venenum dicor dedisse in cœna mea. ODI
 immortales! erat quidem honestius illa defensione patro-
 cinari causæ meæ. Venenum aliquis inter lares suos, in-
 ter sacra mensæ, coronatis pariter, quos colebamus, Diis
 immortalibus, venenum aliquis hilaris hilari dedit? Non
 hoc ipsum obstitit conatibus meis, quod non credebatur?
 Venenum aliquis circumstante familia, præsentibus mini-
 steriis daret, fœdaturus continuò cadavere illud convivium
 suum? Ut severa nobis antiquitas tradidit, infestos ani-
 mos placavere mensæ: & homines, qui inter se armis at-
 que exercitiis conflixerant, tuti tamen jacuere media
 cœnæ fide. Sic defendi decebat innocentiam, sed quate-
 nus tanquam maligni loquimur, quatenus tanquam suspe-
 cti, in præsentia seponite mentem meam, seponite frater-
 nitatem, seponite anteaactam vitam. Tanquam de benefi-
 cio loquor, quo minus loco, quo minus tempore dare fra-
 tri meo debuerim venenum. Neque enim quisquam dubi-
 tat, iudices, quin faciendi scelera consilium, non unam
 viam intueatur, ut ad summam cogitati inchoatique per-
 veniat: sed illam alteram, vel magis necessariam, & quæ
 penitus in cogitationibus sedeat, ut scelus, quod commi-
 sit, neget. Venenum do: & unde scio, an exhausta po-
 tione statim concidat? venit ad mensam meam: inter con-
 vivas meos expirat frater meus, in quem scelus translaturus?
 quem Deorum hominumque invocaturus? Non fuit
 ergo locus idoneus, non fuit tempus: adjice, quod ego
 daturus venenum potui timere, ne deprehenderer, ne
 præsentiret, ne intelligeret, ne colore venenum depre-
 henderet, ne qua vis odoris se ostenderet. Nulli venenum
 facilius dari potest, quam qui accipit utique tanquam me-
 dicamentum. Ergo nullum consilium sceleris mei est. At
 tui quanta occasio? quamquam de hac postea loquar: pau-
 lum

I Quin faciendi scelera consilium.] | ciendi sceleris consilium non unam viam in-
 Aradius: quin faciendo quis scelera, con- | tueatur. Gronovius,
 silium, non unam. Ego malim: quin fa-

lum enim me interpellat ordo, ut illud defendendum existimen, quod fratrem meum ait suspicatum. Ante omnia, iudices, quod sit illud suspicionis genus, non intelligo. Postquam biberat, fingamus cibos redundasse; fingamus aliquem sensum interiorum fuisse: hæc tamen omnia accidere etiam ex innocenti convivio possunt. Unde ergo suspicio est? unde illæ simultates? unde illa discordia? Simul & illud vos, iudices, intueri oportet: epota hujus potionem, fratrem meum continuo periisse. Non potest videri eo veneno periisse, in quo ante momentum mortis suspicio fuit. Verum hæc ex hujusmodi causis orta suspicio, plenissimam defendendi veneni occasionem dedit. Prima illa, quod habebas cui objiceres: altera illa, ¹ quod qualemque potionem accepturus erat frater, si & illam tristem visu, si & illam gustu asperam: bibendum est tamen, cum dicas remedium. Sed quid ego diutius? si venenum à me accepisset, tu sanasses: nam & pollicitus es. Habebas medicamentum, & tale medicamentum dicebas, ² quo prope reducere spiritum, quo vita reponi posset, quo venena fugarentur, quo transmitterentur. Potionem dedisti, aut remedii aut veneni: si remedii dedisses, viveret: non id apparet, ergo venenum dedisti. Multa sunt, iudices, quæ minus clare verbis atque actione exprimi possunt. Urinam quidem fortuna præstitisset, ut frater meus viveret: ostendissem vobis medicum. Hoc enim ante omnia dico, iudices, medicum: ostendissem potionem hanc non quotidianam, & quo omnes utimur: sed medicamentis permixtam & oneratam. Dat medicus medicamentum: qui acceptam bibit potionem, statim expirat. Quis tandem hic argumentandum erat? quis tandem hic probandum? non oculis judicassetis, non continuo strictis faucibus rapiendus

¹ Quod qualemque potionem.] Scribo: quod qualemcumque potionem accepturus erat frater, etsi illam tristem visu, etsi illam gustu asperam. Idem.

² Quo prope reducere spiritum.] Scribo: quod prope reducere spiritum, quo vita reponi posset. Idem.

ad supplicium veneficus videretur, qui nunc etiam spolia occisi hominis tenet, & subito locuples, ait se tantundem habere, quantum me, qui nuper divisi? Mihi quid relictum est præter luctus & lacrymas? Ultimum ergo illud nobis, frater miserrime, convivium erat, sicine digressi sumus? in has spes discessimus? Habui occasionem moerendi. Diu insidiatus effem. Potui tibi venenum dare de quo nihil suspicareris.

CCCXXII.

Abdico te, nisi desinis.

Stricto gladio & cruento processit adolescens in concionem: & dixit, occisum à se patrem, quod ab eo tyrannis affectaretur. Perduxit magistratum in domum: ostendit apparatus tyrannidis. Cum excuteretur corpus, inventæ sunt tabellæ ad filium: in quibus erat hoc, Abdico te nisi desinis: & si contradixeris, indicabo causas. Reuseff juvenis affectatæ tyrannidis.

DECLAMATIO.

Quod circa probationem criminis hujusmodi difficilimum solet esse, certum est affectatam tyrannidem, certum est affectatam esse in hac domo: omnisque eo deducitur quæstio, ut dispiciatis, utrum à patre hujus, an ab hoc sit affectata. Nihil de moribus hujus adhuc dico. Ætates comparate: senex ille & ætatis exactæ, quam rationem affectandæ tyrannidis habuit: nisi forte propter filium hoc fecit. Hic adolescens est: omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate facilius convalescunt. Est quædam præterea ratio sceleris, si hoc tamen nomen nullum accepit scelus, id tentavit, quo frui diu posset. Hæc ætatum comparatio, illa animorum. Pater modestus est: etiam si quid facere severius voluit, minatus est hic contra, qualis adolescens? ut nihil aliud objiciam, quam quod ipse confessus

[Si hoc tamen nomen nullum accepit.]
 Ærodius: si senex hoc tentasset, ex hoc nullo emolumentum accepisset: juvenis id tentavit. Nos mitius: Est quædam præterea ratio sceleris: (si hoc tamen nomen nullum accepit scelus:) is tentavit, qui frui diu posset. Hoc nomen, puta rationis. Si in ullo scelere est ratio. Idem.